

A transcrição deve ser citada da seguinte forma: **Bernardo Machado Mota (transcrição): Tomás Pereira (1646-1708). Cartas latinas de Gregório Lopes, Bernardino della Chiesa e dos Matemáticos do Rei francês para Tomás Pereira, in Res Sinicae. Base digital de fontes documentais em latim e em português sobre a China (séculos XVI - XVIII). Levantamento, edição, tradução e estudos (PTDC/LLT-OUT/31941/2017), coordenação de Arnaldo do Espírito Santo e Cristina Costa Gomes. Lisboa: Centro de Estudos Clássicos, 2022, e-ISBN: 978-972-9376-66-5 [Consult. Data da consulta].**

## ÍNDICE

**1. Carta de D. Fr. Gregório Lopes, Bispo Basilitano, Nanquim, 29/02/1688. ARSI, *Jap.Sin.* 164, 47r-v; BA, 47-V-20, 221v-222v.**

**2. Correspondência com os Matemáticos do Rei francês (1691- 1693).<sup>1</sup>**

- 2.1. Preceito de obediência de Tomás Pereira a Joachim Bouvet e Jean-François Gerbillon, com resposta e esclarecimentos a questões adicionais, Pequim, 20 a 23 de Novembro de 1691. ARSI, *Jap.Sin.* 165, 127-128.
- 2.2. Epístolas do Padre Tomás Pereira, Vice-Provincial da China, para os Padres Jean de Fontaney e Claude de Visdelou, com as respostas remetidas por estes mesmos Padres, Pequim, 24 a 28 de Junho de 1693. ARSI, *Jap.Sin.* 132, 190-191v; BA, 49-V-22, ff. 304-310.

**3. Epístolas de D. Bernardino della Chiesa, Bispo da Argólida.**

- 3.1. Kiang nan, 8 de Janeiro de 1689. ARSI, *Jap.Sin.* 164, 130; BA, 49-V-20, 460r-460v; *Sinica Franciscana V*, 172; VI-1, 495-496.
- 3.2. Vu chang, 2 de Abril de 1689. ARSI, *Jap.Sin.* 164, 155r-v; BA, 49-V-20, 460r-v; *Sinica Franciscana V*, 173; VI-1, 496-498.
- 3.3. Vu chang, 1 de Junho de 1689. ARSI, *Jap.Sin.* 164, 161r-v; BA, 49-V-20, 458v-459; *Sinica Franciscana V*, 177-178; VI-1, 499-501.
- 3.4. Xangai, 5 de Março de 1690. ARSI, *Jap.Sin.* 164, 221; BA, 49-V-20, 605r-v; *Sinica Franciscana V*, 213; VI-1, 502-503.
- 3.5. Quang Cheu, 30 de Junho de 1690. ARSI, *Jap.Sin.* 164, 263; BA, 49-V-20, 597v; *Sinica Franciscana V*, 218; VI-1, 503-504.
- 3.6. Vu chang, 28 de Novembro de 1690. ARSI, *Jap.Sin.* 164, 345 e 347; BA, 49-V-20, 598-599; *Sinica Franciscana V*, 247; vol. VI-1, 506-507.
- 3.7. Cantão, 7 de Janeiro de 1691. ARSI, *Jap.Sin.* 165, 1; BA, 49-IV-65, 409r-v; *Sinica Franciscana V*, 252; VI-1, 508-509.
- 3.8. Quang cheu, 22 de Outubro de 1691. BA, 49-IV-65, 407v.

---

<sup>1</sup> Uma tradução desta correspondência foi publicada em: Bernardo Mota. “Duas breves trocas de correspondência entre Tomás Pereira e os Matemáticos do Rei francês nos anos 1691 e 1693”. Em: Espírito Santo, Arnaldo do; Gomes, Cristina da Costa; Rodrigues-Moura, Enrique (eds.), *Res Sinicae. Pessoas, papéis e intercâmbios culturais entre a Europa e a China (1600-1800)*. Bamberg: University of Bamberg Press, 2022

1.

**Carta de D. Fr. Gregório Lopes, Bispo Basilitano, Nanquim, 29 de Fevereiro de 1688. ARSI, *Jap.Sin.* 164, 47r-v; BA, 47-V-20, 221v-222v.**

/fl. 47r/ Nan kin, 29 Februarii 1688

Reuerende *Admodum* Pater

Pax Christi

Cum viribus aliquantulum resumptis, debitum responsum ad *Reuerendum Admodum Patrem* Ferdinandum Verbiest (cuius humanissimam epistolam sub data Pëkini mense nouembri anni proxime elapsi, sub initium presentis, quo tempore, non leui morbo laborabam acceperam)<sup>2</sup> transmittere cogitabam, en *Admodum Reuerendae Paternitatis Vestrae* litterae mihi redduntur, die scilicet 21. Februarii tristissimum sane, ac inopinatum de praefati *Patris* obitu nuncium afferentes, meque, et alios omnes in hoc Nankinensi Collegio commorantes maximo dolore replentes; cui nihilominùs modum imposuit firmíssima de illius animae<sup>3</sup> salute spes: tot enim meritorum religiosi ac huius Domini optimi<sup>4</sup> cultoris animam ex hac lacrymarum valle in caelum migrasse plusquam certo mihi suadeo et quem in terris existentem his missionibus plurimum profuisse scio, immarcescibili corona donatum multo magis profuturum spero. Itaque lacrymis utcumque tersis prompto animo exsequar<sup>5</sup> non solum, quae<sup>6</sup> religiosa consuetudo suadet uerum etiam, quod specialis amor, et *Paternitas Vestra* per epistolam suggerit, et diuinae<sup>7</sup> dispositioni in hoc casu prout in caeteris me conformare studebo: ac interim valde gaudeo quod eadem *Paternitas Vestra* in missionibus mihi subiectis vices *Admodum Reuerendi Patris* Simonis Martins suae<sup>8</sup> religionis in hoc Imperio Visitatoris gerat, de qua re sibi summoperè gratulor Deumque<sup>9</sup> enixe precor, ut eidem *Paternitati Vestrae* uires augeat

---

<sup>2</sup> laborabam) acceperam *cod.*

<sup>3</sup> anime *cod.*

<sup>4</sup> Domini Vin(?) optimi *cod.*

<sup>5</sup> exequar *cod.*

<sup>6</sup> que *cod.*

<sup>7</sup> diuine *cod.*

<sup>8</sup> sue *cod.*

<sup>9</sup> demque, *altera manus addidit u supra lineam.*

auxilia conferat annorumque plurium felicem seriem concedat tam ad praefatum, quam ad alia munia quae missionum bonum concernunt perfecte obeunda; eo uel magis, quod *Paternitatis Vestrae* probata uirtus satis firmam spem dat eorum omnium, quae his praesertim in circumstantiis desiderantur. Ea uerò de quibus me certiolem reddere dignata est circa *Reuerendos Patres* Gallos in curia Pekinensi degentes tamquam specialem *Paternitatis Vestrae* zelum, ac prudentiam prae se ferentia, et *Sanctae Sedis ac Sacrae Congregationis* mandatis conformia laudo, et approbo nihilominus his eisdem aliisque multis auditis, quae praefati *Reuerendi Patres* meo Prouicario Generali ore tenus, ac in scriptis in Vrbe Sâm Chēū communicauerant, eis que maturè perpensis censui ad tempus eisdem *Patribus* concedendas esse facultates necessarias ad Sacramenta administranda etc. ne grex mihi commissus in tanta operariorum penuria graue aliquod detrimentum patiatur; ideoque omnibus patentes litteras mitto, quas *Paternitas Vestra* videre poterit, et sub eisdem clausulis quantum in se est, earum usum ipsis permittere in bonum harum omnium missionum; ac praecipuè Prouinciae<sup>10</sup> Xèn Sī, ex<sup>11</sup> qua fideles paucis ab hinc diebus epistolam ad me scripserunt enixè postulantes, ut eorum spiritualibus necessitatibus quantocius succurrerem uel per propriam personam, uel saltem per aliquem ministrum idoneum. Haec<sup>12</sup> sunt, de quibus /fl. 47v/ speciale responsum exigit gratissima *Paternitatis Vestrae* epistola, et quae tempus permisit exprimere: dùm eiusdem *Paternitatis Vestrae* nec non *Reuerendi Patris* Antonii Thomae, quem ex praecordiis saluto, Sanctis Sacrificiis, et orationibus plurimum me commendo. Epistolam huic appositam pro *Reuerendo Patre* Josepho Suario tuto itinere transmittere dignabitur, et responsum ad bonae memoriae *Reuerendum Patrem* Ferdinandum Verbiest antea destinatum, quod etiam *Paternitati Vestrae* ac occasione mitto, legere ne grauetur ex illo enim sciet quali animo susceperim, quae ille per suam epistolam mihi significare, uel commendare dignatus est.

Nan kim die 29 Februarii. 1688.

*Paternitatis Vestrae Admodum Reverendae*

Humilis in Christo Seruus

Frater Gregorius Lopes episcopus.

Basilitanus, et Vicarius Apostolicus Nan kin

---

<sup>10</sup> Prouincie *cod.*

<sup>11</sup> esqua *cod.*

<sup>12</sup> hec *cod.*

## 2.

### CORRESPONDÊNCIA COM OS MATEMÁTICOS DO REI FRANCÊS (1691- 1693)

#### 2.1. Preceito de obediência de Tomás Pereira a Joachim Bouvet e Jean-François Gerbillon, com resposta e esclarecimentos a questões adicionais, Pequim, 20 a 23 de Novembro de 1691. ARSI, *Jap.Sin.* 165, 127-128.<sup>13</sup>

Ob grauissimas rationes *Nostro Reuerendo Patri*, et Superioribus etiam immediatis communicandas, praecipio in uirtute *Sanctae Obedientiae Patri Joanni Gerbillon*, et *Patri Joakimo Bouet*, ne per se cum Imperatore agant de aliquo negotio, uel cum aliquo, qui uel immediate, uel mediate possit illud ad Imperatorem perferre, nisi me prius consulto: et siquid tale antea egerint, obligo (non tamen sub eodem precepto) ut eo modo, qui fieri prudenter potest, efficiant, ne ad Imperatorem perferatur, uel saltem mihi significant, quid fuerit actum. Et quia mihi innotuit plures epistolas clandestinas mitti, non solum contra *Regulam Societatis*; sed insuper non sine scandalo *Secularium*, quorum opera ad id adhibetur, item praecipio (non tamen sub eodem precepto *Obedientiae*), secundum *Regulam Societatis*, ne epistolae mittantur, aut recipiantur, nisi prius *Reuisori Litterarum traditae*, et ab eo obsignatae, exceptis excipiendis, juxta *Societatis Institutum*. *Reuisorem autem* constituo *Patrem Alexandrum Ciceri*, et in ejus absentia *Patrem Antonium Thomam*. Praecipio insuper sub eodem precepto *Obedientiae*, ne quid loquantur, aut scribant externis de his praeceptis, uel de re aliqua ad illa pertinente. Thomas Pereira.

Responsio. Cum nobis significatum sit a nostris legitimis Superioribus Gallis, Regis nostri uoluntatem esse, ut in his partibus Superiori Gallo pareamus, et independentes a Superioribus Lusitanis uiuamus plurimis, diuturnis, ac grauissimis Lusitanorum vexationibus compulsi, atque in primis multis ordinationibus, ac praeceptis etiam in uirtute *Sanctae Obedientiae*, maxime uero iis, quae recens a *Reuerendo Patre Francisco Nogueira* hujus *Vice Prouinciae Visitatore*, et a *Reuerendo Patre Thoma Pereyra* ab illo Patre ejusdem *Vice Prouinciae ProVisitatore* constituto edita sunt, quibus Regis mandata, et comissa exequendi uia nobis praeccluditur, cogimur declarare, nos deinceps, juxta praedictam Regis nostri, et nostrorum legitimorum Superiorum Gallorum uoluntatem, de qua nobis constat, uelle deinceps parere *Patri Joanni de Fontaney*, nobis in Superiorem

---

<sup>13</sup> O documento em que se baseia a edição foi escrito originalmente por Antoine Thomas, como se lê no final do anexo; dele sobrevivem várias cópias (ARSI, *JP* 165, fls. 123-124v, 125-126v e 131-132v).

ab iisdem Superioribus Gallis hic constituto; et uiuere independenter a Superioribus Lusitanis; ac proinde non posse subiacere praedictis praeceptis, ac ordinationibus; neque aliam Superioribus praestare debere obedientiam, nisi eam, quae secundum Societatis nostrae Institutum, et praxim exigi solet ab iis, qui e sua in aliam Prouinciam quamcumque propter negotia a suis Superioribus mittuntur, idque quamdiu morabimur in domibus, quibus praeerint aliqui *Patres* Lusitani. Hujus autem nostrae declarationis causas, ac rationes, quas hic generatim tantum indicamus, sigillatim, et distinctius, iis, ad quos pertinet, aperiemus. Datum Pekini die 20.<sup>a</sup> *Novembris*, anni 1691. Joannes Franciscus Gerbillon. Joakimus Bouet *Societatis Jesu*.

Quaesitum primum. Reuerendus Pater Carolus de Noyelles Praepositus Generalis in epistola data die 12.<sup>a</sup> Januarii 1686 ad Patrem Visitatorem Japoniae, et Chinae scribit in haec uerba: Sciat nos omnino uelle, ut quotquot in iis missionibus, et regionibus, ad Prouinciam Japonensem, Sinensemque spectantibus, commorantur, ex quacumque Prouincia illi exiissent, Visitatori praedictarum Prouinciarum, quemadmodum caeteri subesse solent, subjaceant, et subordinentur: nec aliud in contrarium Reuerentia Vestra permittat. Item Reuerendus Pater Thirsus Gonçales, nunc Praepositus Generalis Societatis Jesu, in epistola ad Patrem Antonium Thomam data 2.<sup>a</sup> Octobris 1688 sic habet: de quibus ipsis (agit de 5 Patribus, de quibus quaesitum procedit) si cui forte dubitatio de hoc esset, jam pridem declarauim mentem meam; atque etiam Reuerentiae Vestrae et per ipsam caeteris declaro, oportere illos, ad quascumque regiones, missionesque deferri contigerit, obnoxios, subditosque, esse illis de Societate Superioribus, qui ibidem reliquis nostris, cum potestate praesunt, utcumque proprium sibi in suis itineribus Superiorem /fl. 127v/ habuerint. Quaeritur nunc quo jure freti Pater Joannes Gerbillon, et Pater Joakimus Bouet in Collegio hoc Pekinensi degentes uiuere se uelle profitentur independentes a Superioribus Lusitanis, etiam a Reuerendo Patre Nostro Generali constitutis in illis locis, si quod habent authenticum fundamentum proferant.

Responsio. *Pater* Labreuil in epistola data ad *Patrem* Fontaney Siami, in fine Aprilis 1691 sic habet: Probe scio interceptas fuisse aliquas nostras litteras, et aliquas Patris La Chaise Macai, in quibus uobis significabatur, quod essetis independentes a Lusitanis. Idem in eadem epistola ait: Videte quomodo uos gerere debeatis cum Patribus Lusitanis, usque nunc addicti, uel non addicti. Si fundamus unam *Missionem Gallicam*, quod apparet futurum est intentio Superiorum, ut sitis uos quinque membra ejus et *caetera*. Exhibita

fuit epistola ejusdem Patris Labreuille ad dictum *Patrem* Fontaney originalis. Producantur ergo illae litterae interceptae, et constabit de ea independentia.

Quaesitum secundum. Epistola Patris Thirsi Gonzalez Praepositi Generalis supra citata data est 2.<sup>a</sup> Octobris 1688, quo mense, et anno prohibitum est omne commercium subditorum suorum cum Generali Societatis a Rege Galliae. Igitur, si aliquae litterae forte non peruenerunt; non continent aliam determinationem Reuerendi Patris Nostri, neque contraria, si facta sit determinatio Patris Prouincialis Franciae elidere potest determinationem Praepositi Generalis.

Responsio. Cum epistolae supradictae, interceptae Macai, ad nos non peruenerint, super hoc puncto nihil determinate potest exhiberi, nisi extractum ex epistola Patris Jacobi Palu Prouincialis Franciae ad Patrem Joannem Fontaney; quod infra proferetur. Et uero compulsi uexationibus Superiorum Lusitanorum, non idcirco omnem illis Obedientiam detractamus in ipsorum domibus existentes, sed ut patet ex declaratione nostra uolumus eis subesse, secundum Regulam Communium 48.<sup>am</sup>; nec putamus plus a nobis requiri per Ordinationes Generalium.

Quaesitum 3.<sup>um</sup>. Regula communium 48.<sup>a</sup> an integre seruanda erga Superiores Lusitanos; et quae illis Obedientia praestanda?

Responsio. Dum in eorum domibus versabimur, eis obediemus, in iis quae spectant ad functiones Missionarii, et exercitia Religiosa. Litterae ad subditos eorum, et subditorum ad nos, eorum reuisioni subjacebunt, non aliae; nec eis subjacebimus in iis rebus, quae spectant ad commissas nobis a Rege nostro, aut a Superioribus nostris in Gallia existentibus, licet uero dicat Regula 48.<sup>a</sup>, quod si quis etiam ad negotia tractanda uenerit, ea non nisi ex ejusdem (nempe Superioris loci) consilio ac directione tractabit; quandoquidem Superiores Lusitani negotia nobis commissas impedire satagunt, ea obligatione nos eximi censemus, accedente nostrorum Superiorum, in Gallia significatione, extante, ut credimus in litteris interceptis, independentiae a Superioribus Lusitanis.

Quaesitum quartum. Qui comprehenduntur per Superiores Lusitanos?

Responsio. Intelligimus omnes Superiores horum locorum natione Lusitanos, aut ab eisdem factos Superiores Subordinatos, non autem Superiores horum locorum creatos a Praeposito Generali cujusuis alterius nationis, quoad alia Declaratio a Superioribus nostris non accesserit.

Quaesitum Quintum. Proferatur Instrumentum Superioratus Patris Joannis Fontaney.

Responsio. /f.128/ Epistola Patris Jacobi Palu Prouincialis Prouinciae Franciae, data quando Pater Tachard cum 14 Patribus discessit e Gallia, ad Patrem Fontaney, cujus extractum exhibemus exaratum Patris Fontaney propria manu; cujus idem seruat originale, quando libet exhibendum: sic habet. Rex uobis subsidio mittit duas colonias, singulas compositas 7 Jesuitis, uno Superiore, et 6 Sacerdotibus. Vestra facit tertiam, compositam ex te Superiore, et 4 Sacerdotibus. Pater Tachard est Superior Generalis trium Coloniarum cui omnes debent obedire, et aliae, quas Rege mandante poterimus mittere. Rex desiderat, ut omnes Galli obediant Superiori Gallo. Et cum eritis cum aliis nostris Patribus Lusitanis, aut aliis, ibi manebitis, sicut Patres Angli, Flandri, Itali, et alii, qui habitant in domo professa Parisiis, obediendo Superiori, aut Prouinciali loci, secundum Regulas nostras. Sed vester Superior Generalis potest uos reuocare aut alio mittere etc. Quod autem dicat obediendo Superiori, aut Prouinciali loci, secundum Regulas nostras, propter rationes, quas supra attulimus, intelligimus secundum limitationem supra allatam Regulae Communium 48.<sup>ae</sup>.

Quaesitum sextum. Haec determinatio Prouincialis Franciae, eliditur per ordinationem Reuerendi Patris Nostri Thirsi Gonçales supra relatam, huic determinationi posteriorem; nam ait; utcumque proprium sibi in suis itineribus Superiorem habuerint; quibus uerbis excludit alium Superiorem praeterquam horum locorum.

Responsio. Censemus non elidi; seu non pugnare contra, neque alium Superiorem excludi, qualis est Pater Joannes Fontaney a Prouinciali Franciae denuo post itinera constitutus. Cum autem hanc dispositionem miserit Pater Prouincialis Franciae Superior noster, ad eum pertinebit rationem Praeposito Generali reddere. Pekini 23.<sup>a</sup> Novembris 1691.

Ego infra scriptus testor, cum ex commissione Patris Thomae Pereira Vice Visitoris proposuissem haec sex quaesita Patribus Joanni Gerbillon, et Joakimo Bouet, eos respondisse juxta hanc formulam quaesitorum adjectam, atque totum hoc scriptum eis relegisse; et quae judicarunt, suis responsionibus me addidisse, eosque totum approbasse. Verum jam parati ad subscribendum, quia Pater Vice Visitor omnia Obedientiae praecepta non relaxabat, sed unum relinquebat, de non tractando negotio cum Imperatore immediate, uel mediate, inconsulto Superiore, responderunt, non subscriptos, eo quod plus quam par erat Obedientiae in suis responsis offerrent erga Superiores Lusitanos. Data 23.<sup>a</sup> Nouembris anno 1691. Anthonius Thomas.



**2.2. Epístolas do Padre Tomás Pereira, Vice-Provincial da China, para os Padres Jean de Fontaney e Claude de Visdelou, com as respostas remetidas por estes mesmos Padres, Pequim, 24 a 28 de Junho de 1693. ARSI, *Jap.Sin.* 132, 190-191v; BA, 49-V-22, 304-310.<sup>14</sup>**

**[1. Tomás Pereira a Jean de Fontaney e a Claude de Visdelou]**

Patri Joanni de Fontane, et Claudio Visdelu. Cum *Reuerentiae Vestrae* Pekinum aduenientes die 21 huius mensis Junii noluerint ad alterutram domum Societatis diuertere, sed ad aliquam priuatam domum se receperint, et in eadem nunc habitent: Ego Thomas Pereira Vice Prouincialis Sinensis preuia super hoc negotio consultatione praecipio in uirtute Sanctae Obedientiae Reuerentiis Vestris, ut intra unum diem exhibeant, quo, et cujus personae jussu, aut facultate, id quod est contra leges Societatis egerint. Hodie 24 Junii 1693. Thomas Pereira.

**[2. resposta de Jean de Fontaney a Tomás Pereira]**

Reverende Pater. *Pax Christi*. Ego in Superioribus Lusitanis harum Prouinciarum nullam sufficientem auctoritatem agnosco, ut mihi, meisque sociis praecipere possint in uirtute Sanctae Obedientiae propter rationes allatas in litteris, quas ad *Reuerentiam Vestram* mense Decembri anni 1691, et mense Augusto 1692 scripsi, nihilominus, quia rem justam postulat *Reuerentia Vestra* idque etiam rationi consentaneum est, ut, ei, quibus de causis in priuato domicilio maneam, exponam: id facio libenter, et jam fecissem si per horum dierum occupationes, et itus continuos in aulam licuisset.

Ex litteris *Reuerendi Patris* Jacobi Pallu Prouincialis Franciae ad me datis initio anni 1687: Petis a me auxilium: quod petis curauimus. Rex mittit ad regnum Siamense duas colonias, unaquaeque septem constat Patribus, uno scilicet Superiore, et sex ipsi subditis. Vestra colonia tertia est, et constat quatuor Patribus, quibus es ipse Superior. Trium coloniarum Superior est *Pater* Tachard, cui parere debent omnes, quas<sup>15</sup> mittimus et quas deinceps mittere poterimus. Rex cupit Patres Gallos Gallo Superiori obedire et cum eritis apud Patres Lusitanos, aut alios, vos ibi uult esse, ut sunt in domo Professa Parisiensi Patres ex Angliae Italiae, aut Belgi provinciis, Prouinciali scilicet, aut Superiori

---

<sup>14</sup> O texto de base é o de ARSI, complementado pelo da BA, conforme indicações nas notas de rodapé.

<sup>15</sup> Corrigido a partir de *quos* (cf. ARSI, *Jap.Sin.* 165, 128).

locali juxta regulas Societatis ita obedientes, ut hinc uos reuocare alio mittere, et alia hujusmodi possit Superior vester Generalis sicut in suis possunt missionibus Graeciae, Martinicae, et novae Franciae Generales Superiores.<sup>16</sup> Hactenus *Pater* Pallu.

Praeterea consultus a me super his litteris *Pater* Guido Tachard, qui Roma redibat, et cum Reverendo Patre Nostro Ge-/fl. 190v/-nerali Praeposito Thyrso Gonzales sermonem habuerat per litteras ad me datas ex ora Corumandel die 17.<sup>a</sup> Junii 1692 respondet his uerbis. Dicere tibi aliud non possum, quam quod tibi scripsit ipse *Reuerendus Pater* Prouincialis. Nonne ipse legitimus est suae voluntatis interpres, an aliquis ex uobis eius in vos ubicumque sitis auctoritatem reuocare in dubium posset?<sup>17</sup>

Idem *Pater* Tachard inculcat postea, et se nobis, et me meis sociis Superiorem esse constitutum non solum a *Reuerendo* Patre Jacobo Pallu, qui Prouincialis erat tempore *Reuerendi* Patris Nostri Caroli de Nojlle, sed etiam a *Reuerendo* Patre Jacobo Le Picard, quem *Reuerendus Pater* Noster Thyrsus Gonzales ibi subrogauit in administrationem Prouinciae.<sup>18</sup>

Deinde idem *Pater* Tachard ad me scribens, et agens de priuatis domiciliis non solum expressis uerbis hortatur ad ea constituenda, sed etiam culpae dat, quod nondum constituerim<sup>19</sup>. Cogitate, inquit, de domicilio seorsum<sup>20</sup> uobis praesertim Pekini constituendo, recedere uos oportebat a Lusitanis Patribus post duos, aut tres persecutionis annos, atque utinam ita fecissetis.<sup>21</sup> His de causis (ut omittam alias, quae

---

<sup>16</sup> BA, 49-V-22 apresenta a secção *Petis a me auxilium...Generales Superiores* em francês: “Vous me demande [sic] de secours le Roy vous en donne envoyant a Siam Deux Colonies composées chacune de sept Jesuites un Superieur, six Peres. La vostre fait la 3.<sup>e</sup> composée de vous Superieur, et de 4 Peres. Le *Pere* Tachard est le *Superieur General* de ces troys Colonies, auquel elles doivent toutes obeir, et les autres, que par l’ordre de Roy nous pourons y envoyer. Le Roy desire tous les françois obeissent a un Superieur françois: et lors, que vous serez avec nos autres *Peres* Portugais, ou autres, vous y demeuriez, comme nos *Peres* Anglois, flamands, Italiens, ou autres demeurent a la Maison Professe de Paris obeissant au Superieur, ou *Provincial* du lieu suivant nos regles: mais que vostre Superieur General peut vos rappeler vous envoyer ailleurs etc. comme fait le Superieur General de la Grece de la *Martinique*, ou du Canada.”

<sup>17</sup> BA, 49-V-22 apresenta a secção *Dicere...posset?* em francês: “Je ne peux pas vous dire autre chose, que ce que le *Reuerende Pere* Prouincial vous a escrit luy mesme. Aues vous besoin d’autres interpretes de ses volontes? Y auroit il parmi vos Compagnos quelqu’un, qui pust reuocquer en doute ses pouvoirs sur vous, qual que par que vous soyes?”

<sup>18</sup> BA, 49-V-22 acrescenta, em latim, *Haec sunt eius verba* (“Estas são as palavras dele”) e apresenta, em francês, a secção seguinte: “Je vous ay deia fait scavoir que le *Reuerende Pere* Prouincial de Paris m’avoit fait le *Superieur General* de tous les missionaires françois, qui estoient aux Index, et a la Chine, ou qui devoit, y veni[r] par ordre du Roy, avec pouvoir de les rappeler, et de les envoyer mesme in France quand ie le iugerois necessaire. C’estoit alors le *Reuerende Pere* Pallu, le *Reuerende Pere* le Picart m’a confirmé avec tous les pouvoirs, que i’avois receus de son Predecesseur. Par la lettre du *Reuerende Pere* Le Picart, et vous declare aussi Superieur des *Peres* de la Chine”.

<sup>19</sup> ARSI, *Jap.Sin* 132: *constituerint*; BA, JA 49-V-22: *constituerim*.

<sup>20</sup> Corrigido a partir de *seorsim*.

<sup>21</sup> BA, 49-V-22 apresenta a secção *Cogitate...fecissetis* em francês: “Songer a vous etablir surtout a Pekim. Il eust esté a souhaiter (?), q’apres Deux, ou trois ans de Persecution vous vous fassiez [?] rêtirez. Il falloit obeir aux ordres du Roy”.

*Reuerentiam Vestram* non latent) et Cantone secessi e domibus Patrum Lusitanorum, et Pekini, quo nos Imperator uocauit secedo. Si *Reuerentia Vestra* eximere nos potest ab obedientia quam Patri Tachard, et nostris Prouincialibus debemus libenter audiam ejus rationes. Sin minus non mecum sed cum illis *Reuerentia Vestra* queratur, aut potius secum, suisque sociis, quorum agendi nobiscum ratio nostros Superiores mouit, ut ista nobis praescriberent. Pēkini die 24 Junii anno 1693. *Joannes* de Fontaney.

### [3. Resposta de Claude de Visdelou a Tomás Pereira]

Reverende Pater Pereyra Vice Provincialis. Rogat Reverentia Vestra litteris datis 24 Junii, cujus jussu, ac Consilio Pekinum adueniens in alienam Domum diverterim? Respondeo. Id me jussu ac consilio Reverendi Patris Joannis Fontaney Superioris mei fecisse. Rationem ipse reddet iis, ad quos pertinebit. Porro ejus Superioritatem tuta Conscientia declinare nunc quidem post repetitas litteras Superiorum Generalium meae Provinciae, quibus Superior meus constituitur, declaratur, confirmaturque? Pekini die 24 Junii anni 1693. Reverentiae Vestrae Addictissimus in Christo Seruus Claudius Visdelou Societatis Jesu.<sup>22</sup>

### [4. Segundo Preceito do Padre Vice-Provincial Tomás Pereira imposto aos Padres a Jean de Fontaney e a Claude de Visdelou]<sup>23</sup>

Cum in iis, quae *Reuerentiae Vestrae* praecepto meo respondentes exhibuerunt nullum extet fundamentum, quo probetur *Reuerentias Vestras* in hac Vice Prouincia Sinensi degentes exemptas esse ab obedientia Superiorum eiusdem Vice Prouinciae, multoque minus ab obligatione seruandi Regulas, et Constitutiones Societatis Iesu, et ad summum colligi possit quod *Reuerendi* Patres Prouinciales Franciae uoluerint ut *Reuerentiae Vestrae* eam tantum profiterentur obedientiam erga praedictos Superiores quam profitentur hospites Societatis Iesu versantes in aliena Prouincia (quam limitationem esse contra mentem *Reuerendi Patris* nostri Generalis constat ex ipsius epistola ad *Patrem* Fontaney scripta 24, uel 27 Januarii 1688, et ex aliis ordinationibus ad nos missis, ac *Reuerentiis* Vestris alias intimatis) atque adeo saltem ut hospites Societatis teneantur

---

<sup>22</sup> Esta carta só existe em, BA, 49-V-22, 305v.

<sup>23</sup> Em ARSI, lê-se: *Alterum Patris Pereira scriptum ad eosdem*. (“Segundo escrito do Padre Pereira aos mesmos”).

*Reuerentiae Vestrae* regulas hospitum obseruare, iisdemque Superioribus juxta easdem regulas hospitum obtemperare: Ego Thomas Pereira Vice Prouincialis Sinensis ne in re tam graui desim officio meo, et /fl. 191/ ut a Vice Prouincia Sinensi, ejusque Missionibus periculum grauium perturbationum, ac scandalorum, quae ex iis, quae mense Nouembri proxime elapso passi sumus merito temeri possunt quantum in me est auertam in uirtute Sanctae obedientiae, et sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrendae praecipio *Reuerentiis Vestris*, ut intra tres dies ab hoc die 26 Junii inclusiue computandos se recipiant ad alterutram domum Societatis Iesu in hac urbe existentem, et in eadem habitent juxta leges eiusdem Societatis, et cum in aliena Prouincia *Reuerentiae Vestrae* non possint habere proprium domicilium sine expressa facultate *Reuerendi Patris Nostri* Generalis, nec *Pater* Tachard in uestra responsione citatus mentionem faciat sibi datae eiusmodi facultatis a *Patre* Generali, sub eodem praecepto, et poena praecipio *Reuerentiis Vestris* ne in hac vrbe Pekinensi proprium sibi, uel suis domicilium procurent. Pekini 26 Junii 1693. Thomas Pereira.

#### [5. Resposta de Jean de Fontaney a Tomás Pereira]<sup>24</sup>

Ex litteris, quas *Reuerentiae Vestrae* significauit, saltem intelligit duo nobis a *Reuerendo Patre* Pallu Prouinciali Franciae aperte declarari. Primum *Patrem* Tachard posse nobis, in quo moremur locum assignare sicut faciunt Superiores Graeciae, Martinicae et Nouae Franciae<sup>25</sup> respectu suorum inferiorum. Secundum est obedientiam illam quae praestatur Superioribus localibus juxta Regulam peregrinorum ab eodem *Reuerendo Patre* Prouinciali Franciae in eo tantum casu nobis commendari, si quando diuertimus ad aliorum Patrum aedes. Intelligit etiam *Reuerentia Vestra*, quae a *Patre* Pallu praescripta<sup>26</sup> fuerunt initio anni 1687 ab ejus successore *Patre* Le Picard confirmata, omnique ex parte commendata fuisse *Patre* Tachard initio anni 1690, cum tertio renaugauit in Indias. Neque dici potest *Patres* Prouinciales Franciae *Reuerendi Patris* Generalis mentem ignorare, nec ab illo litteras recipere. Misit enim ad illos professiones *Patris* Visdelou, et *Patris* Bouet, quos dudum sciebat in hoc Oriente uersari. Eas uero professiones *Pater* Prouincialis Franciae, sicut et *Reuerendus Pater* Generalis nullatenus ad *Reuerentias Vestras* executioni mandandas misit, sed ad *Patrem* Tachard Superiorem nostrorum, et is

---

<sup>24</sup> Em ARSI, lê-se: *Responsum Patris de Fontaney*. (“Resposta do Padre de Fontaney”).

<sup>25</sup> BA, 49-V-22: *Canada*, em vez de *Nouae Franciae*.

<sup>26</sup> ARSI, *Jap.Sin.* 132: *proscripta*; BA, 49-V-22: *praescripta*.

postmodum ad me, nulla facta mentione Patris Visitoris, aut Vice Prouincialis loci quasi eorum iudicium exquirendum esset. In litteris *Reuerendi Patris Nostri* Generalis ad me datis initio anni 1688, et in caeteris ejus ordinationibus, quatenus nos spectant nihil est quod repugnet Patris Prouincialis Prouinciae Franciae litteris, et quod potissimum ad quaestionem praesentem attinet nulla mentio fit, siquid Superiores nostri /fl. 191v/ nobis praescribendum esse judicauerint *Reuerentias Vestras* potius audiendas, quam illos. Auertere, inquit *Reuerentia Vestra*, debeo scandala, quae mense Nouembri proxime elapso passi sumus. Dicat, quaeso, quae dedimus. Totum enim scandalum non a meis sociis quibus fauebat Imperator, sed ab eis ortum est, qui decreuerunt omnino resistendum Imperatori volenti propriam illis domum concedere, sic ut nonnullorum audita haec uox sit. Satius esset carceris uerbera, et exilium pati, quasi Patres Gerbillon, et Bouvet seorsum<sup>27</sup> habitare tantum fuisset malum, ut neque exilium neque incarcerationio Missionariorum cum ipso conferri posset.<sup>28</sup> *Pater* Tachard cum ab aedibus Patrum Lusitanorum excedere<sup>29</sup> nos jubet, et in alienis aut propriis habitare agit jure suo. Ex *Patris* Prouincialis Franciae litteris ad ipsum pertinet id decernere, nec tenetur mecum agens aliam rationem cur id agat afferre, satisque docet quid possit cum a *Reuerendo Patre* Nostro Generali ueniens domicilium statim edificet<sup>30</sup> in Prouincia Malabarica, annuente, et administrandi<sup>31</sup> facultates omnes concedente Vicario Lusitano regionis illius. Quae cum ita sint declaro *Reuerentiae Vestrae* me a meis Superioribus Ordinariis stare, nec redire ad aedes vestras posse, ut ibi habitem nec consentire ut *Pater* Visdelou ante redeat, quam declaratio per *Patrem* Franciscum Nogueiram nunc Visitatorem nomine suae Nationis facta debite reuocata fuerit, illudque mihi praescripserint uel *Reuerendus Pater* Generalis, uel Prouinciales Galli, post acceptam, ut decet ejusdem declarationis informationem uel saltem *Pater* Tachard, qui de illa jam admonitus est. Denique praecepta *Reuerentiae Vestrae* sicut et excommunicationes pro nullis habemus<sup>32</sup> tum quia pertinemus ad alias Prouincias, aliosque Superiores, tum quia in ea re uersamur, quae non pendet a *Reuerentia Vestra*. Tertiam addo rationem ex jure naturali et ex jure Ecclesiastico petitam. Relegat *Reuerentia Vestra* litteras meas 13 Decembris 1691, et primo Augusti

---

<sup>27</sup> *Seorsum*: corrigido a partir de *seorsim*.

<sup>28</sup> BA, 49-V-22: *perinde quasi summa rerum sit, non a Christiana Religione tantam calamitatem amoliri, quanta est exilium, et incarcerationio missionariorum in hoc Imperio, sed efficere ne soli maneamus*, em vez de *Quasi...posset*.

<sup>29</sup> BA, 49-V-22: *Lusitanorum qui nobis ita contrarii fuerunt excedere*, em vez de *Lusitanorum excedere*.

<sup>30</sup> *Aedificet*: corrigido a partir de *aedificat*.

<sup>31</sup> *Administrandi*: corrigido a partir de *administrante*.

<sup>32</sup> BA, 49-V-22: *Praecepta excommunicationesque Suas Reuerentia Vestra in armamentario Vice Prouinciae seruet, quae nulla sunt respectu nostri*, em vez de *Denique...habemus*.

1692 ad ipsam datas, quae quidem jura, quo sanctior est nostra Societas, eo sanctius, et iniuolatus in eadem seruantur. Pekini 28 Junii 1693. *Joannes De Fontaney*.

**[6. Resposta de Claude de Visdelou a Tomás Pereira]<sup>33</sup>**

Patri Thomae Pereyra Vice Prouinciali Sinensis [sic, lege Sinensi]. Reverentia Vestra negare non potest haec tria, quae sequuntur. Primo me Provinciae etiamnum additum esse. 2.<sup>o</sup> obnoxium me esse auctoritati Superiorum illius Provinciae. 3.<sup>o</sup> Patrem Joannem de Fontaney ab Provincialibus ejusdem Provinciae subinde duobus Superiorem meum hic in Sinis constitui, et declarari. Negare itidem non potest, et ab ipsis per repetitas litteras, et a Patre Joannem [sic, lege Joanne] de Fontanei coram praecipi mihi, ut e Reuerentiae Vestrae Domibus discendam [sic, lege discedam]: nunc vero, Reverentia Vestra contrarium jubet. Vtris tandem parere me aequum est, cum fieri nullo pacto possit, ut utrisque paream? Profecto nullus erit iuris utcumque consultus, quin videat proprio Superiori morem a me geri oportere non alieno: cum enim in praesenti casu de autoritate cum illis contendat Reverentia Vestra praesumptio quoad me est pro Superiore Provinciae meae proprio, utpote penes quem est mei possessio; et in hoc quidem negotio, paenes, quem est possessio, penes eum est praesumptio. Praeterea etsi (quod fieri non potest) Superioribus Provinciae meae obtemperando quidquam peccarem ad summum violarem regulam Societatis, quae de hospitibus, ne in alienis aedibus diversentur, ubi sunt proprie, praecipit. Porro regula illa, uti, et Reliquae id genus, peccato nequidem [sic] veniali neminem obligat: nemo autem ignorat in quemquam tam graviter, ac Reverentia Vestra facit, animadverti non posse, quin se laethali scilicet, eoque manifesto prius obstrinxerit ut scandalum, inquires, ex ea discessionem existet: viderit Reverentia Vestra cujus in arbitrio positum est, ut nullum sit: quis enim improbabit hanc discessionem, si aedibus ad tempus, quoad nimirum Reuerendus Pater Noster Generalis super nostra lite pronuntiaverit, sejuncti, animis tamen conjuncti orimur. Neque quidquam aduersus me facit quod Pater Tachard non disertis verbis affirmant [sic, lege affirmat] hujus discessionis imperandae suadendaeue sibi potestatem factam esse a Reuerendo Patre Nostro Generali: nemo enim Superior tenetur, cum suis favoribus imperat, statim iis declarare, qua potestate id faciat, et unde hausta: prudenterque, ac pro officii mei ratione me gero. Cum eam ipsi concessam esse praesumo, atqui ut in ea peccaret quod vehementer nego nihilo secius ex legibus

---

<sup>33</sup> Esta carta só se encontra em BA, 49-V-22, 308-9.

prudentialiae ago morem ipsi gerens. Haec a me Superius allatae sunt, verae sunt, quamvis Reverentia Vestra auctoritatem aliquam in me, nempe qualem in hospites, dum in Domibus alienis diversantur aberet [sic, lege haberet]: nunc vero, cum ipse caeterique a Deo Superiores Lusitani auctoritate hac omni jure naturae exclusi sint, ut Pater Joannes de Fontaney, Superior meus diserte profitetur, ob causas alibi datis [sic, lege datas] intelligit Reuerentia Vestra nullum ab Ea praeceptum, qualecumque sit accipere in posterum posse. Pekini die 28. Junii 1693. Claudius Visdelou Societatis Jesu.

#### [7. Tomás Pereira a Jean de Fontaney e a Claude de Visdelou]<sup>34</sup>

*Padre João Fontaney e Padre Claudio Visdelou, Nam exigia de Vossas Reverências novas respostas, pois as não haja, senão... [sic] Impus a Vossas Reverências preceito de obediencia, que se recolhessem a huma das Casas da Companhia debaixo de Excomunhão mayor, como não obedecerão, estão ipso facto excomungados.*

Deixo a outro Tribunal a nova Doctrina do *Padre Joam Fontaney*, o qual attribue a culpa dos escândalos de Novembro passado (cujos effectos ainda durão) nam a seus Companheiros Religiosos e Sacerdotes da Companhia, que acusarão seus Superiores a hum Imperador gentio, pedindo-lhe Casa aparte, dizendo não poderem viver com elles: mas attribuindo a tais culpas de tais scandalos aos mesmos Superiores, para se defenderem; e isto com a verdade e com o instituto da Companhia, e nam com o empenho que os arrojasse a huma proposição tam temeraria, escandaloza como he a que falsa, e calumniozamente imputa o *Padre Joam de Fontaney* a seus mesmos Superiores.

Depois julgamos ser escusado dizer lhe mais nada, pois nam servia mais, que de dar lhe ocasião a responder com desaforo como se [?] no *Praecepta excommunicationesque suas Reuerentia Vestra in armamentario Vice Provinciae seruet* etc. o que visto [?] já lhe não comuniqueis o paragrafo sobre escripto; pois *ipso facto* estavam já excomungados.

---

<sup>34</sup> Esta carta só se encontra em BA, 49-V-22, 310.

### 3.

#### EPÍSTOLAS DE D. BERNARDINO DELLA CHIESA, BISPO DA ARGÓLIDA.<sup>35</sup>

1. Kiang nan, 8 de Janeiro de 1689. ARSI, *Jap.Sin.* 164, 130; BA, 49-V-20, 460r-460v; *Sinica Franciscana V*, 172; VI-1, 495-496.

Kiang nan, 8 *Januarii* 1689.

*Admodum Reuerende Pater*

Diu expectatae *Paternitatis Vestrae*, et sociorum litterae nos quam maximo gaudio cumularunt; nec quid diuersum suspicari poteramus de tam religiosis uiris, quos sua Prouidencia isthic collocauit Omnipotens, ut suis humeris totam hanc amplissimam missionem portent, totque meritis ditescant, quot caeteri omnes, Missionarii, hinc inde sub eorum umbra laborantes sibi cumulant.

Gratias et *Paternitati Vestrae*, et sociis singulis singulares ago. Deum precatus, pro me cumulate satisfaciat, eos suis chrismatibus abundanter repleat, nouum annum nouis felicitatibus laetum, omnibus Superioribus longe magis omnium uotis fauentem, donet; sicque<sup>36</sup> uidere licuit, quos Deus in hac Curia Missionis totius ueluti procuratores, et propugnatores posuit posteriores semper prioribus anteiuisse<sup>37</sup>.

Deum item rogo (ut spero) *Paternitati Vestrae* et Collegae Patri Antonio Thomas ita adsit, ut defunctorum in Domino suorum antecessorum uestigiis inhaerentes<sup>38</sup>, eos omnes non aequent solum, sed et superent; multum enim in *Paternitatum Vestrarum* prudentia, et charitate confido: *Pater Frater* Bernardus de Incarnatione nil hucusque mihi de nouis perturbationibus significauit; maximas gratias ago *Paternitati Vestrae* de suo ei faciendi studio testorque. Nunc, pro semper, quaecumque<sup>39</sup> in Missionariorum quorumcumque; absque ullo discrimine, commodum, uel defensionem<sup>40</sup> attentabit, ita mihi fore accepta ac si ipsemet beneficium acciperem, et rogo quae in hac parte occurrant,

---

<sup>35</sup> Edição baseada em ARSI; as correções introduzidas em *Sinica Franciscana (SF)* são devidamente assinaladas.

<sup>36</sup> Sique *cod.* Sicque *SF*.

<sup>37</sup> Anteiuice *cod.* Anteiuisse *SF*.

<sup>38</sup> Inherentes *cod.* Inhaerentes *SF*.

<sup>39</sup> Quecunque *cod.* Quaecumque *SF*.

<sup>40</sup> Defensione *cod.* defensionem *SF*.



mihi semper significet, expertus enim scio plurimum profutura, ut in Romana Curia Societatis Iesu honorem tueri, et defendere possim.

Pro nunc non habeo, quid amplius addam solum uelim, quanto citius poterit me moneat de casu Kiang Laô yê, qua scilicet de causa ceciderit<sup>41</sup>, si enim a mea in Hû quàng profectioe aliquid mali timeri possit, nolo, uel illi Christianitati cui succurrere ualde desidero, uel mihi aliquod periculum creare: Valeat in Domino omnibusque istis *Patribus* Thomas, Suares, Gerbillon, et Bouet, cum quibus hanc communem habeat uelim, plurimam meis uerbis salutem dicat.

Kiāng nân, 8 Ianuarii 1689.

Paternitatis Vestrae Admodum Reuerendae

Humillimus in Domino Seruus

Fr. Bernardinus ab Ecclesia Bispus *Argolidae* O.A.

---

<sup>41</sup> cesiderit *cod.* ceciderit *SF.*

2. Vu chang, 2 de Abril de 1689. ARSI, *Jap.Sin.* 164, 155r-v; BA, 49-V-20, 460r-v; *Sinica Franciscana* V, 173; VI-1, 496-498.

/fl. 155r/ Cham Fu, 2 Aprilis 1689.

Bernardinus Episcopus

*Admodum Reuerende Pater*

Post meum e Nan kim discessu, de quo ibi *Paternitatem Vestram* monui, 17 dierum itinere incolumis, Deo dante, cum socio, in hanc Metropolim perueni, post 24 dierum moram reuersus est e Siām tām *Reuerendus Pater* Motel, a quo omnia ibi gesta, et Dei Prouidentiam in ea Christianitate tuenda, simulque emptionem nouae domus in Vrbem Chām Xā accepi, quae omnia dictus Pater fusius explicabit.

Dum hic *Patris* aduentu laetamur ecce heri *Paternitatis Vestrae* litterae perueniunt, quae nos gaudio cumularunt. Vere rubore afficior dum me tot tantisque beneuolentiae, et charitatis officiis *Paternitas Vestra* complectitur; quibus cum rebus ipsis respondere non possim, curabo saltem, ne quid in me desideretur, ex quo ingratus merito argui possim. Vtinam uires animo respondeant. Haec quoad me.

Caeterum est quod toti Missioni gratuler *Paternitatis Vestrae* Apostolicam charitatem cui, cum Deus, qui charitas est, non fauere non possit, in magnam spem erigor fore, ut *Paternitatis Vestrae*, et sociorum merito, sublatis omnibus quae charitati aduersantur (magnus enim amoris amor), maioribus in dies incrementis augeatur, indeque *Paternitatis Vestrae* corona semper pretiosioribus gemmis ditescat. Vtinam!

Ex successu Imperatoris cum Patre Fr. Joseph Osca, iuuenē<sup>42</sup> qui tribus abhinc annis et non amplius in Chinas ingressus est, colligo, Imperatorem nostrum in Sinas ingressum non aduersari. Vnde non foret difficile aliquid, oblata opportunitate, in Missionis commodum attentare. Rem *Paternitati Vestrae* sincere proponam. Ego, ut liquet, in uno loco immorari non possum, si uelim<sup>43</sup> satis, officio meo facere. Insuper socii duo *Fatres* Basilius, et Joannes Franciscus, quorum alter mihi, alter *Illustrissimo* Basilitano in Prouicariatus officio deseruit, plurimum missioni deseruire possent, si<sup>44</sup> huc

---

<sup>42</sup> iuuenem *cod.* iuvene *SF.*

<sup>43</sup> uelem *cod.* uelim *SF.*

<sup>44</sup> ci *cod.* Si *SF.*

illuc Missionum necessitatibus accurrere possent, absque illo timore quo semper urgemur, ne scilicet deprehensi Missioni negotium facessamus.

Quae cum ita sint, res esset, meo uideri, Dei seruitio, et Missioni utilissima mihiq̄ supra modum grata, quae Societatis magna in me merita usque ad maximum perduceret si *Paternitas Vestra* aliquam uiam aperiret, qua Imperatori *nostra* cognomina ȳ, yê, yū, et nomina simul Paternitati Vestrae non ignota patefaceret; ita tamen, ut nos rerum Mathematicarum omnino ignaros cognoscat, aliquamque praetendens causam, uelut senioribus occurrendi etc., nobis impetraret eius assensum, uel suū p̄iēn kiū chú, ut concessit Patribus quinque; qui anno superiore aduenerunt. Hoc totum *Paternitatis Vestrae* prudentiae permitto, certus, si factibile sit, me meo desiderio non fraudandum.

Audiueram olim *Paternitatem Vestram* cum *Patre* Gerbillon iterum 4.<sup>a</sup> Luna ad Moscouitas profecturum, si ita est, Deum precor incolumes ducat, et reducat, et meminerit Pater Gerbillon, se postea mihi debiturum, et 2.<sup>i</sup> et primi itineris historias, et hoc in poenam quia promissis non stetit; ei, et sociis singulis nominatim, quos ex corde diligo, plurimam meis uerbis salutem dicat.

Gauisus sum etiam uehementer de nouo Mandarinis Siām t̄n. Vtinam cito ueniat eiq̄ Pontificaliter sanctum Baptisma impertiri queam. Vere multas Deo gratias debemus, qui ita [155v] nobis prouidet, sit eius nomen benedictum. Pro *Patre* Tissanier quem Deus ad se uocare uoluit, solita cum socio suffragia hodie incepimus; post quae, et illud addemus quod *Paternitatis Vestrae* commendationi nos debere fatemur. Valeat in *Domino*, mei memor in suis sanctis orationibus.

Vù Chām Fù, 2 Aprilis 1689.

*Paternitatis Vestrae Admodum Reverendae*

Addictissimus in *Domino* Seruus

Fr. Bernardinus ab Ecclesia Episcopus *Argolidae Vicarius Apostolicus*

**3. Vu chang, 1 de Junho de 1689. ARSI, *Jap.Sin.* 164, 161r-v; BA, 49-V-20, 458v-459; *Sinica Franciscana* V, 177-178; VI-1, 499-501.**

/fl. 161r/ Vu Chang. 1 Junii 1689.

*Admodum Reuerende Pater*

*Paternitatis Vestrae* litteras 25 Aprilis datas hic 30 Maii accepi. Infirma *Paternitatis Vestrae* ualetudine doleo multum. Spero tamen, Deo fauente, cuius pietas non potest huius Missionis necessitatibus non compati, fore ut breui eam iam redintegratam cognoscam, ut *Paternitas Vestra*, siue istic<sup>45</sup> siue in Tartaria, in commune bonum suam operam locare possit.

De meo desiderio circa placitum imperatoris assequendum, non est quod *Paternitas Vestra* angatur. Scripsi olim me totam rem *Paternitatis Vestrae* prudentiae permittere iterumque permitto, rogans ut, si aliqua se opportuna offerat occasio, hoc commodo quod maximum mihi uidetur Missionem hanc ne fraudet; nolim tamen in Missionis damnum conuerti quod solum in eiusdem commodum percipio. Quid enim priuati commodi mihi hac in re affulgere potest, sola Dei res agitur, cuius omnipotentia *Paternitatis Vestrae* conatibus cooperante, confido fore ut debito tempore uotis ne frustremur conceptis.

Post Ressionis solemnia, *Patris Motel* consiliis et *Patris Raimundi* litteris inuitatus, in Siām tân ascendi. Vix perueneram, cum *Pater Raimundus* suum de mittendo homine, qui me ut consilium mutarem hicque persistirem, moneret serum consilium aperuit. Ab illo enim ProRege, et immediato praetore ualde angebatur mihi que illuc aduentanti timebat. Ast post factum non est consilium. Ad haec mala euitanda alia grauiora Deus ProRegi, et chī hién permisit, quae nos quoque in non leues angustias redegerunt.

Discooperta est enim latronum coniuratio qui numero 3000 Hû nân imminabant, primusque eorum scopus erat Siām tân et Chang Xā depopulari. Haec res nonnisi pridie diei ad effectum praedefinita innotuit. Ideo nocte totâ in urbe uigilatum latrones perquisiti aliquique, qui rem totam fassi sunt capti fuerunt, tum in Siam tân, tum in Cham Xā, tum aliis in locis. Nos cum caeteris uigilare debuimus, omnia relinquere et fugam (si liceret)

---

<sup>45</sup> Isthic *cod.*

capere parati. At iis captis, caeteri dispersi sunt, itineraque sic infestant ut in regressu nocte quadam quam uentorum defectu in Hû nân lacuna pernoctare debuimus, latrones non amplius quam uiginti, sexaginta naues quae nobiscum eundem portum cum pluribus aliis tenebant expilarint. Deo gratiae, qui nos eripuit.

Hic cruces non subsistunt. E Cantone litteras accepi a Reuerendo *Patre* Visitatore, et aliis, qui omnes deplorant domesticas ibi perturbationes post illam a D. Carpon emptam domum, et multo magis post D. Maigrot ProAdministratores accessum exortas. Fixum est quidquid in me est id totum communi quieti consecrare, ast consilii inops quo me uertam nescio.

Austro flante, statim Kiám nân propero, iterque si Deus dabit, immediate post *Sanctissimo* Sacramenti solemnia decreui ut, post diligentias, quas iam adhibui, addam quidquid ad rem fore cognoscam. Rem coram Deo precibus iuuat, in quibus non praecipuum sed totale remedium collocandum uidetur. *Admodum* Reuerendo Patri Visitatori scripsi ut ei illae Metropoles, in quibus nondum ecclesia erecta est, cordi sint. Id et *Paternitatem Vestram* rogo. Praeuideo enim, si Societas Iesu metropoles /fl. 161v/ saltem non teneat, aliorum conatus circa fidem in illas Prouincias inferendam fere írritos fore.

*Patris Fratris* Oscae litterae peruenerunt tandem, in iisque narrat et ab Imperatore accepta beneficia, et a *Paternitate Vestra* in gratiam ecclesiae in urbe Cim-cheu erectae impartitos fauores, de quibus quam maximas ago gratias et utinam referre possem. Longior esse nolo. *Pater Frater Basilius* centuplicatam<sup>46</sup> reddit salutem. Ego quoque Deum *Paternitati Vestrae* semper propitium precatus me confirmo.

Vù Cháng 1. junii 1689.

*Paternitatis Vestrae Admodum Reverendae*

Studiosissimus in Domino Seruus

Fr. Bernardinus ab Ecclesia *Episcopus Argolidae Vicarius Apostolicus*<sup>47</sup>

---

<sup>46</sup> Sentuplicatam *cod.*

<sup>47</sup> *E regione sinistra cod.:* Annexas epistolas in Xantung et Fokien rogo mittat prima oblata opportunitate.

4. Xangai, 5 de Março de 1690. ARSI, *Jap.Sin.* 164, 221; BA, 49-V-20, 605r-v; *Sinica Franciscana* V, 213; VI-1, 502-503.

Xang hay 5. Martii 1690.

*Admodum Reuerende Pater*

Priores *Paternitatis Vestrae* litteras, quas se in suo reditu e Tartaria ad me dedisse, olim scripserat, tandem accepi, in quibus iucundum fuit iterum legere, et *Paternitatis Vestrae* (quam plurimi facio) in me, et Imperatoris (pro qua plurimas Deo gratias ago), in *Paternitatem Vestram* beneuolentiam, ex qua *Christiana* rei, quae *Paternitas Vestra* monet commoda sperari possunt, quae tandem et in *Paternitatem Vestram* et meritum, et coronam redundant, cuius laboris ad ea promouenda Dominus uti dignatus est.

Displicuit sane quod *Paternitas Vestram* se Rectoratu abdicarit cum istic<sup>48</sup> caeteris et antiquitate, et experientia, et linguae peritia, et Imperatoris gratia praecellat. Si homines humana pati contingat, non tamen<sup>49</sup> non aequae ferendum. Post factum non superest consilium. *Paternitatis Vestrae* praesentia<sup>50</sup> in isto Collegio sufficit, ad illud, et Missionem protegenda, ideo Deum precor diu eam seruet incolumem et maximas ago gratias, quod nec requisitus in gratiam Patrum Xantunensium eorum Ecclesiarum, et Christianitatum necessitatibus occurrere dignata sit.

Deus reddat pro merito. Et si qua in re ego *Paternitati Vestrae* usui esse possim, efficiam, ut res ipsae<sup>51</sup> meum gratum animum probent. Gratias agit, et meus *Pater* Prouicarius de sui memoria salutemque, et *Paternitati Vestrae* et Patri Suarez plurimam dicit quos ambos et ego aeternum ualere iubeo.

Xáng hay, 5 Martii. 1690.

*Paternitatis Vestrae Admodum Reverendae*

Studiosissimus in Domino Seruus

Fr. Bernardinus ab Ecclesia *Episcopus Argolidae Vicarius Apostolicus*

---

<sup>48</sup> istic *cod.*

<sup>49</sup> tam *cod.* tam[en] *SF.*

<sup>50</sup> praesentia *cod.* praesentia *SF.*

<sup>51</sup> ipse *cod.* ipsae *SF.*

5. Quang Cheu, 30 de Junho de 1690. ARSI, *Jap.Sin.* 164, 263; BA, 49-V-20, 597v; *Sinica Franciscana V*, 218; VI-1, 503-504.

Quang Cheu fu, 30 Junii 1690.

*Admodum Reuerende Pater*

A *Patre Fratrem* Petro de la Piñuela distinctam *Paternitas Vestra* notitiam accipiet eorum, quae contra ipsum *Patrem*, et Christianam religionem in Vrbe Nân gān gesta fuere quibus adactus est Nânkinum nauigare ut uideat, an *Admodum*<sup>52</sup> *Reuerendus Pater Vice-Prouincialis* auxilio a Çùm tō remedii aliquid obtinere queat. Rogo *Paternitas Vestra* dignetur hoc caeteris suis meritis adiungere ut illius Ecclesiae, quae duobus, et parum amplius annis 500.<sup>m</sup> fructum attulit, patrocinium sumere, et prouidere, ne quid Neophiti illi detrimenti sentiant.

Qui *Paternitatis Vestrae* zelum compertum habeo, pluribus rem non urgeo, solum testor, id mihi futurum gratissimum, ex quo non modicum, si capacia sint, quae *Paternitati Vestrae* me debere fateor augmentum sument. *Admodum Reuerendo Patri Vice-Prouinciali*, si adhuc isthic moretur. *Patribus* Rectori, Antonio Thomas caeterisque sociis plurimam dico salutem. Valeat in *Domino*.

Quàng Chēu fù, 30 Junii 1690.

*Paternitatis Vestrae Admodum Reuerendae*

Studiosissimus in *Domino* Seruus

Fr. Bernardinus ab Ecclesia *Episcopus Argolidae Vicarius Apostolicus*

---

<sup>52</sup> ad *cod.*

6. **Vu chang, 28 de Novembro de 1690. ARSI, *Jap.Sin.* 164, 345 e 347; BA, 49-V-20, 598-599; *Sinica Franciscana* V, 247; vol. VI-1, 506-507.**

Quang cheu fu, 28 Nouembris 1690.

Modo ad suam ecclesiam in Vrbe Chao Cheu reuertitur P. Fr. Joannes a S. Fruttos *Paternitatis Vestrae* admodum Reuerendae patrociniū desiderat, quemadmodum ipsemet ad *Paternitatem Vestram* scribit, ut ibi pacifice uiuere maioribusque incrementis rem Christianam promouere possit. Ego cui *Paternitatis Vestrae* zelus aliis non paucis argumentis innotuit, haud dubito, quin eiusdem Patris litterae sufficient, ut *Paternitas Vestra* pro sua charitate in eius leuamen quod in se est conferat. Nihilominus eiusdem Patris uotis non annuere nolui ut *Paternitas Vestra* unico beneficio, et ipsum, et me sibi deuinciendum certo sciat.

Qui hoc anno plura ex Vrbe noua expectabam quibus missionariorum animi non parum leuarentur nulla accepi. Deus, in necessariis non deficit. Ideo quae simpliciter necessaria erat Juramenti suspensio, ut cito ad nos perueniret effecit. Caetera uult ab ipso opportuno tempore speremus. Spero quidem! Et *Paternitatis Vestrae* sociorumque precibus, quibus singulis salutem ex animo dico, me adiuuari desidero, ne me mea culpa meis uotis frustratum uideam. Valeat in Domino.

Quang Cheu Fù, 28 Nouembris 1690.

*Paternitatis Vestrae* Admodum Reuerendae

Humillimus et Studiosissimus in Domino Seruus

Fr. Bernardinus ab Ecclesia Episcopus Argolidae Vicarius Apostolicus



7. Cantão, 7 de Janeiro de 1691. ARSI, *Jap.Sin.* 165, 1; BA, 49-IV-65, 409r-v; *Sinica Franciscana V*, 252; VI-1, 508-509.

Canton, 07 Ianuarii 1691.<sup>53</sup>

*Admodum Reuerende Pater*

30 Octobris datas *Vestrae Reuerentiae* litteras sero aliquantum accepi. Gratissimae tamen pro more extiterunt<sup>54</sup> tum quia *Paternitatis Vestrae* charitatem, et zelum in Xantuniensibus Missionariis adjuuandis significant, tum quia eius gaudium pro obtentam iam iuramenti suspensione expriment. Qui incoepit Deus ipse<sup>55</sup> omnipotens perficiat Missionariorum omnium bonum<sup>56</sup> cui quodquod in me est nunquam non conferam.

Quod si eo officio omnes pro uiribus fouere statutum est multo<sup>57</sup> tamen magis mihi cordi sunt ii, qui caeteros omnes humeris portant umbra protegunt fauore fouent suisque laboribus et taediis a labore et taedio liberant. Non ignorat *Paternitas Vestra* quod tendam. Expromo, quanti faciam *Paternitatis Vestrae* et sociorum in ista Curia labores, et in uniuersam Missionem merita. Videant singuli, qua in re eis usui esse possim, non permittam, ut res uerbis non respondeant.

Pro nunc Deum precor *Paternitati Vestrae* et sociis singulis recentem annum tam felicem concedat ut omnibus maeroris radicibus euulsis de die in diem maioris laetitiae in utroque homine germina protuberent. Annuat uotis Omnipotens cui *Paternitatis Vestrae* orationibus me commendatum uelim.<sup>58</sup>

Cantone, 07 Ianuarii 1691.

*Paternitatis Vestrae Admodum Reuerendae*

Studiosissimus in *Domino* Seruus

Fr. Bernardinus ab Ecclesia *Episcopus Argolidae Vicarius Apostolicus*

---

<sup>53</sup> *Subscriptum*: Bernardin Vielep.

<sup>54</sup> Extiterum *cod.* Extiterunt *SF.*

<sup>55</sup> Ipsi *cod.* Ipse *SF.*

<sup>56</sup> Bonum *add.* *SF.*

<sup>57</sup> [ ]ulto *cod.* Multo *SF.*

<sup>58</sup> *E regione sinistra cod.*: “Hodie e Xún tō reuersi sunt *Pater* Turcotti cum *Patre* Tarin commissario ubi ecclesiam emit. *Paternitatis Vestrae* commendatio fuit, quae Praefectum illum omnium, et fauentem reddidit. Iteratas ei gratias ago: rogans ut in Missionis commodum, et Dei gloriam dictorum Patrum uotis suis *Paternitati Vestrae* litteris expressis quantum licuerit annuere dignetur. Die 15 ianuarii. *Patri* Pereirae.”

**8. Quang cheu, 22 de Outubro de 1691. BA, 49-IV-65, 407v.**

Admodum Reuerendo<sup>59</sup> Patri<sup>60</sup> Thomae Pereirae Societatis Jesu Missionario Apostolico Vice-Visitatori Sinensi<sup>61</sup>.

Cum duobus Patribus comitatus in Curiam reuertatur *Admodum Reuerendus Pater* Suares, facere nequeo<sup>62</sup> quin<sup>63</sup> *Paternitati Vestrae Admodum Reuerendae* his litteris conueniam, quibus etsi nil habeo noui quod scribam, omnia enim noua ore tenus a dictis<sup>64</sup> Patribus accipiet<sup>65</sup>, meam tamen [--]<sup>66</sup> P. V. in quoscumque Missionarios contulit, et confert (mea [-----]<sup>67</sup>) memorem testor. Deum precatus ut ei adsit<sup>68</sup>, quo, quod hactenus praestitit, in futurum<sup>69</sup> feliciter continuet eiusque patrocínio Missio haec in dies magisque florescat.

Ego, Deo gratiae, hic incolumis<sup>70</sup> dego. Quae anno<sup>71</sup> proximo noua expectantur faciunt<sup>72</sup> ne hinc discedam. Vbicunque fuero<sup>73</sup> me semper *Paternitas Vestra* et socii ad omnia, ex<sup>74</sup> quibus pro meam tenuitatem casui<sup>75</sup> esse possim paratum inuenient. Valeat in Domino; *Patribus* sociis salutem dicat<sup>76</sup> quos Prouicarius plurimum et diu ualere desiderat.

Quang Cheu fu, 22 Octobris<sup>77</sup> 1691

*Paternitatis Vestrae Admodum Reuerendae*

Humillimus in Domino Seruus

Fr. Bernardinus ab Ecclesia *Episcopus Argolidae Vicarius Apostolicus*

---

<sup>59</sup> Reuerende *cod.*

<sup>60</sup> Patri P. *cod.*

<sup>61</sup> Sinensis *cod.*

<sup>62</sup> Nequio *cod.*

<sup>63</sup> Quim *cod.*

<sup>64</sup> Ad<sup>ti</sup> *cod.*

<sup>65</sup> Accepit (*siue* Recepiet?) *cod.*

<sup>66</sup> em *cod.*

<sup>67</sup> *Verbum incomprehensibile legitur in cod.*

<sup>68</sup> ad s(?)t *cod.*

<sup>69</sup> Fecturum *cod.*

<sup>70</sup> Incolumes *cod.*

<sup>71</sup> A nao *cod.*

<sup>72</sup> Facie(?)nt *cod.*

<sup>73</sup> Ferero(?) *cod.*

<sup>74</sup> Ex(?) *cod.*

<sup>75</sup> casui(?) *cod.*

<sup>76</sup> Dictata(?) *cod.*

<sup>77</sup> Octubris *cod.*

